

DIARII

I LUGLIO MDXXI. — XXX SETTEMBRE MDXXI.

1 Exemplum Litterarum Serenissimi Domini
Ducis post ejus electionem rectoribus no-
stris missarum.

Antonius Grimanus Dei gratia Dux Venetiarum etc.

Nobilibus et sapientibus viris de suo mandato rectoribus Paduae fidelibus dilectis salutem et sinceræ dilectionis affectum. Superioribus diebus vobis illustrissimi prædecessoris nostri obitum Dominium nostrum declaravit. Nunc autem nos successor his litteris electionem nostri vobis significare duximus. Placuit Omnipotenti Deo senatoribusque nostris nos ad ducalem dignitatem promovere, qui etsi imbecillem nosmet ad tantam obeundam provinciam cognoscimus, tamen actis Summo Creatori gratis ac illius ope freti, eam nos detractavimus enitimusque pro viribus hujus florentissimae Reipublicæ habenas recte regere, talemque nos præstare pro cunctis erimus gaudio et commodo. Vos ideo hortamur ut civitatem istam nostram, qua semper usi estis fide et solertia gubernetis, jubentes ut hac promulgata creatione istis fidelissimis nobilibus et civibus nostris curetisque per triduum signa consueta lætitiae celebretis. Ceterum eamdem notitiam dabilitis rectoribus istius agri nostri ut et ipsi idem servare possint.

Datæ in nostro Ducali Palatio, die VI Julii 1521
indictione

Summo Pontifici Leoni X.

Beatissimo etc. Cum vita functo illustrissimo principe prædecessore nostro domino Leonardo Lau-redano, Respublica nostra principe careret, visum est patribus, ut nos, qui diu in publicis muneribus

versati pro viribus prodesse nixi, summum principem post hunc, illam regamus et administremus. Quare etsi impares tantæ provinciæ esse profitemur, judicio tamen Senatus cedentes et voluntati obtemperantes onus subivimus; hac præsertim spe et fiducia freli, quod Deus Optimus Maximus, sine cujus voluntate nihil in rebus humanis evenit, et qui optimum desiderium et studium nostrum indefessum non minus juvandæ carissimæ patriæ quam fovendi Christianæ religioni novit, vires et ingenium subministraturus sit, quibus officio nostro satisfacere et omnium expectationi respondere possimus. Hæc litteris nostris et proprio tabellario Beatitudini Vestræ, ob præcipuum nostram in illam riverentiam et devotionem declaranda curavimus. 1*

Subscriptio: Antonius Grimanus Dei gratia
dux Venetiarum etc.

Datæ in nostro Ducali Palatio, die 6 Julii 1521,
indictione

Similis Serenissimo Imperatori cum his verbis:
Cesareæ Majestati Vestræ ob præcipuum nostrum in
illam cultum et observantiam declaranda curavimus.

Serenissimo Regi Francorum cum his verbis:
Christianissimæ Majestati Vestræ ex officio singula-
ris observantiae et indissolubilis confœderationis de-
claranda curavimus.

Serenissimo Regi Angliae et Serenissimo Regi
Hungariæ cum his verbis: Majestati Vestræ ex officio
singularis amoris et observantiae nostræ erga illam
declaranda curavimus.

Serenissimo Regi Poloniae, ut dicitur Regi Hun-
gariæ, Illustri duci Ferariæ, marchioni Mantuæ et
Ragusii.